



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

9 Quæ distinctio necessaria sit inter fundamentu[m] & terminum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

SECTIO IX.

Quæ distinctio necessaria sit inter fundamentum & terminum.

Hæc quæstio etiam expeditur facile ex hæcenus dictis. Quidam enim existimant necessariam esse inter illa distinctionem realem, ut Soncin. 5. Metaph. qu. 29. & significat, debere esse omnimodam distinctionem, ita ut non sufficiat distingui tanquam totum & partem. Fundatur præcipue, quia alias totum continuum referretur infinitis relationibus realibus diversarum proportionum maioris inæqualitatis ad infinitas partes proportionales, quod est inconueniens. Vnde simili argumento probat D. Thomas 2. cont. Gent. c. 12. ratione 3. non posse vnā quantitatē referri relatione reali ad quantitatem maiorem possibilem, quia alias haberet simul relationes infinitas, cum numeri, vel quantitates maiores possint in infinitum multiplicari.

Alii vero putant, nullam distinctionem in re esse necessariam, quod maxime videri potest in relatione identitatis eiusdem ad seipsum. Quia tam proprie & à parte rei sine fictione intellectus est aliquid ens idem sibi, sicut est diuersum ab alio, vel simile alteri: ergo tam est illa relatio realis, sicut alia. Atque hoc maxime opinantur aliqui, si contingat idem fundamentum esse in diuersis subiectis: ut v.g. si eadē albedo esset in duobus hominibus, aiunt referri inter se similitudine reali, quia fundamentum distinguitur à termino qui terminat, etiam si non distinguatur ab ipsa ratione terminandi. Et hoc sentit Scotus in 1. distinct. 31. & in quodlib. quæst. 6.

Resolutio.

Dicendum vero est, ad relationem realem necessariam esse, ut fundamentum, & terminus formaliter sumptus, in re ipsa distinguatur. Hec est sententia Diui Thomæ 1. par. qu. 42. art. 4. ad tertium ubi propter hanc causam negat æqualitatem inter diuinas personas esse relationem realem: negat etiam idē referri ad se ipsum relatione reali. Et hoc sequuntur omnes Thomistæ. Et quod requiratur aliqua distinctio in re inter correlatiua realia, est fere principium per se notum in Metaphysica. Nam correlatiua censentur realiter opposita, non opponitur autem idem sibi ipsi: oportet ergo ut correlatiua in re aliquo modo distinguantur. Vnde necesse etiam est, relationes reales oppositas, esse in re aliquo modo distinctas, tum propter oppositionem, tum etiam quia vna quæque relatio in re est idem cum suo extremo, ut supra ostensum est: ergo si extrema sunt distincta, etiam relationes. Quocirca si relationis terminus est relatio opposita, hinc satis concluditur relationem & terminum debere in re esse distincta. Si vero formalis terminus relationis est aliqua forma absoluta, etiam concluditur debere in re distingui. Quia talis formalis terminus non potest esse nisi fundamentum oppositæ relationis, ut infra dicam: sed non minus necesse est fundamentum vnius relationis distingui à relatione opposita, quam relationes ipsas oppositas: ergo. Probat minor, quia relatio & fundamentum sunt in re idem: ergo quantum relatio distinguitur à relatione opposita, tantum in re distinguitur fundamentum vnius relationis ab eius opposita: ergo æque etiam distinguitur à fundamento relationis oppositæ. Item, quia non solum relationes, sed etiam extrema seu subiecta relationum debent esse in re distincta, quia non potest intelligi realis & vera habitudo inter ea, quæ in re non distinguuntur: quia omnis habitudo, ut ex termino ipso constat, postulat extrema: extrema vero includunt pluralitatem, & conse-

Tota. II. Metaphys.

quenter aliquam distinctionem rei. Denique in ipsa definitione relatiuorum hoc continetur, quia debent esse ad aliud. Si autem subiecta relationum oppositarum debent esse inter se distincta, maxime id verum habet de subiectis, seu fundamentis proximis, quibus relationes proxime in sunt, nam illis proxime per se conferunt suas proprias & formales habitudines, ergo distinctio hæc maxime requiritur inter ipsa fundamenta oppositarum relationum, & consequenter etiam inter relationes ipsas, ac denique relationem & terminum.

Quantum oporteat esse distinctionem prædictam.

Quanta vero debeat esse hæc distinctio, dubitari potest. Breuiter tamen cenſeo non esse necessariam equalem, in omnibus sed iuxta naturam fundamentorum, & modum relationum pensandum id esse. Sæpe enim hæc distinctio debet esse realis & suppositalis, ut in relatione patris & filii. nam quia tales relationes fundantur in reali processione vnius suppositi, & non potest vnum suppositum realiter procedere, nisi ab alio supposito, ideo talis relatio requirit distinctionem realium suppositorum. Et similiter relatio specificæ identitatis requirit realem distinctionem naturarum substantialium, & consequenter etiam suppositorum, sed clausis miraculis. Evidens est proportionē seruata de relatione æqualitatis vel similitudinis: requirunt enim distinctionem realem talium formarum, & consequenter etiam subiectorum ex natura rei. Ad aliquas vero relationes existimo sufficere distinctionem modalem, nam sicut est vera efficientia aut emanatio inter rem & modum, ita etiam potest esse vera relatio. Item quia distinctio modalis, vera distinctio est, & sufficit ad oppositionē vel habitudinem, propter quam necessaria est distinctio inter relationem & terminum.

An vero sufficiat distinctio inter totum & partes, dubitari potest, propter argumentum Soncinatis de infinitate relationum. Vnde dici potest, quod licet distinctio inter totum & partem, quatenus aliquo modo realis est, sit maior quam modalis distinctio, tamen quatenus extrema non sunt ita condistincta, sed in vno aliud includitur, minus sufficere ad fundandā relationem realem. Sed difficile hoc creditur est, primo, quia simpliciter illa distinctio est vere in re, & est maior quam modalis. Item quia causa materialis, vel formalis videntur realiter referri ad suū effectum, qui est compositum ipsum, à quo tamen non distinguuntur, nisi sicut pars à toto. Item quia duæ medietates eiusdem continui videntur inter se referri relatione reali æqualitatis, nam in re vere distinguuntur, & non ut includens & inclusum, sed ut condistincta, & si essent continuæ tantum referrentur relatione reali: vno autem per continuationem non potest hanc relationem impedire, maior enim est vno inter rem & modum, aut inter materiam & formam, quia vno non tollit omnem distinctionem. Quod si illæ medietates inter se referuntur relatione reali, idem erit de earum medietatibus inter se comparatis, & ita etiam sequitur infinitas relationum. Neque videtur esse vllum inconueniens, quod in continuo ita sint infinitæ relationes, sicut sunt in finita puncta vel partes cum relationes nihil rei addant ipsis fundamentis.

Solutio argumentorum.

Per hæc ergo satis responsum est priori sententiæ. Idem ad seipsum ratiōis tantā tantum. Quod autem res dicatur eadem sibi finire relatione rationis, vel falsum est, quia necessaria est comparatio intellectus, quia eadem ad se ipsam ita

Xx 3

com-

comparatur, ac si essent duo extrema, vel certe si secludatur hæc comparatio in se solum est res ipsa, & negatio distinctionis, quam solam potest addere hæc entitas ipsa rei, ut supra Disput. 8. visum est. Atque idem censeo de propria similitudine inter duo subiecta alba, si eandem numero haberent albedinem quia convenientia illa, quam in albedine haberent potius esset identitas in eadem numerica forma. Quod ut magis intelligatur, distinguere ibi possumus convenientiam in forma albedinis, vel in vniione ad eandem formam: prior convenientia est identitas quadam, & ideo non est relatio realis: posterior vero potest esse similitudo & relatio, quia licet forma sit eadem, vniio ad diversa subiecta necessario est diuersa, & ideo quadam ad illam est sufficiens distinctio, & similitudo vel relatio realis fundari possit. Ut si duæ humanitates essent vnitæ Verbo diuino non videtur dubium, quin essent vere similes in vniione hypostatice, quæ non esset in eis eadem numero, sed distincta, ideoque possent sub ea ratione referri relatione reali. Non potest vero hinc argumentum sumi ad relationes diuinas prout terminantes (ut nostro modo loquamur) eandem essentiam Dei, quia non terminant per vniionem, sed per simplicissimam identitatem.

Duo alba eadem albedine, an relatione reali in similitudinis.

SECTIO X.

*An tria relationum genera triplici fundamento re-
ferantur ab Aristotele distincta.*

I.



In hac sectione examinanda est doctrina Aristotelis libro 5. Metaph. c. 15. ubi agens de Ad aliquid, ad tria genera relationum omnia refert: quæ distinguit ex triplici fundamento seu ratione fundandi relationem.

II.

Quas relationes in primo genere collat Aristoteles.

Partitio & doctrina Aristotelis proponitur.
In primo genere constituitur eas relationes, quas dicit fundari in vnitatem vel multitudine, quod postea subdividit in varias species, nam in vnitatem aut fundari æqualitatem, similitudinem & in vniuersum identitatem eorum, quorum vna est substantia. Nam si milia dicantur, quæ habent vnā qualitatem, æqualia, quæ habent vnā quantitatem, eadem vero, quæ habent vnā substantiam, quod potest intelligi vel proprie & in rigore de substantia, vel generatim de essentia, quod infra videbimus. In numero vero ait fundari omnes relationes, quæ aliquo modo secundum quantitatem dicuntur, & ab vnitatem recedunt, ut sunt omnes proportionales inter numeros in æquales, siue illæ definite seu generatim significantur, ut excedens, multiplex, &c. siue definite ut duplum, triplum, &c. Vnde licet hæc relationes inueniri etiam possint inter quantitates continuas, tamen dicuntur fundari in numero, quatenus requirunt diuersitatem in quantitate. Atque eadem ratione ad idem fundamentum pertinent relationes omnes dissimilitudinis, distinctionis, & similes, quia in numero aliquo modo fundantur: hic enim non sumuntur in rigore vnitatis & numerus pro quantitatis, sed generalius. Illud enim est considerandum, Aristotelem semper loqui de his rebus in plurali, quia propriissime loquendo, ambæ relationes oppositæ huius generis, sunt quæ requirunt in fundamento, aut numerum aut aliquam vnitatem plurium (ita enim est hæc vnitatis intelligenda.) Vnde si de singulis relationibus loquamur, vnaquæque requirit fundamentum, non quod simpliciter sit numerus, sed quod cum alio componatur numerum, vel habeat vnitatem.

III.

Quas relationes fundantur in potentia agendi & patiendi, vel in actibus earum: quod subinde distinguit in varias species, quas partim sumit, vel ex eo, quod relationes

fundantur in sola potentia abstrahendo ab actione, vel ut subest actioni. Et adhibet exempla, ut calefactum & calefactibile: calefactiens & calefactum. In quibus oportet duo aduertere, vnum est, cum Aristoteles ponit relationem realem inter potentiam & possibile, nunquam loqui de effectu possibili obiectiue sumpto, ut videtur intellexisse Gregorius in superioribus citatus, qui ex hoc exemplo Aristotelis colligebat, dari relationes reales ad terminos non existentes, sed possibiles: Aristoteles autem aperte loquitur de potentia passiva seu subiecto calefactibili, ut declarat his verbis. Et vno nomine, actum ad passivum, & actum autem & passivum, ex potentia actiua & passiva potentiarumque actionibus dicuntur, ut calefactum ad calefactibile. Hinc secundo considerandum est, alium esse terminum realem relationis potentie actiue, ut sic abstrahendo ab actione, à termino potentie actiue, ut subest actioni, seu ut facietis, nam prior terminus est potentia passiva, & alioqui non potest esse terminus realis: posterior vero est ipse effectus, vti iam fluens à potentia agentis. Rursus vero addit Aristoteles, hanc relationem, quæ fundatur in potentia sub actione, variari iuxta varias temporis differentias: alia enim fundatur in præsentis actione, ut relatio ad facientem, calefactientis, &c. Alia in actione præterita ut relatio patris & alia in actione futura, ut quod futurum est (inquit) ad id quod faciendum, quod habet difficultatem infra tractandam.

In tertio genere ponit Aristoteles relationes, quas vocat mensurabiles ad mensuram, ut sunt (inquit) relationes scientiæ ad seibile, intellectus ad intelligibile, aspectus ad spectabile. Assignat autem notandum discrimine (quod grauius quæstionibus occasione præbet) inter hoc genus & duo priora, quia in prioribus (inquit) vtrumque relatiuum dicitur ad aliquid, quia id ipsum, ad quod vnum quodque est, aliud dicitur, & non quia aliud ad ipsum: at vero in tertio genere, licet vnum relatiuum dicatur ad aliquid, quia vere est aliud, alterum vero, quod illi correspondet, non dicitur ad aliud, quia vere sit ad aliud, sed quia aliud, est ad ipsum. Ut scientia & seibile, quamuis ad aliud dicatur, tamen diuerso modo, nam scientia sic dicitur quia vere est aliud, seibile vero minime, sed solum quia scientia est ad ipsum: idemque est de intellectu intelligibili & similibus. Quam differentiam nulla ratione probat Aristoteles, sed ut manifestam tradit.

Sine diuisione conuenienter data.

Hæc est Aristotelis diuisione & doctrina. Circa quam duo præcipue declaranda occurrunt: in quibus variæ difficultates attinguntur. Primum, an singula membra illius diuisionis, conuenienter assignata sint. Secundum, an illa diuisione sit adæquata relationi prædicamentali, ita sit sufficienter totam eius diffinitum comprehendat. Ratio dubitandi circa priorem partem est primo. Quia relationes primi generis non videntur reales: ergo. Probat antecedens primo quoad relationes vnitatis, quia vnitatis illa in qua fundantur, non est realis, sed rationis tantum: ergo nec relatio in ea fundata potest esse realis. Antecedens patet, quia illa non est vnitatis numeralis, nam hæc fundatur identitatem eiusdem ad seipsum, quæ est relatio rationis, ut supra diximus: ergo est vnitatis specifica, vel alia superior omnis autem alia vnitatis præter numeralem est vnitatis rationis. Nec refert si quis dicat vnitatem formalem esse realem, nam hæc etiam non est realis, nisi in quantum in re est eadem cum numerica, licet ratione distinguantur: vnde ita multiplicatur in rebus, sicut ipsa vnitatis numerica, ut in superioribus visum est: ergo non magis potest esse fundamentum relationis realis, quam vnitatis numerica. Et confirmatur, ac declaratur, nam vnitatis, quæ sit fundamentum relationis, debet esse vnitatis plurium, nam vnitatis vniuersalisque, ut sic non fundatur relatio-